

§. X.

Quod tensio fibrarum corporis nostri, inprimis nervearum sentientium, excessiva, tristem sensationem adeo vehementem efficiat, ut ægri animum quasi despondeant, exemplo tensionis nimiae, tristem sensationem excitantis, videre licet. Nam ejusmodi fibrarum corporis nostri tensiones inter se tantummodo differunt ut majus & minus.

§. XI.

Quomodo itaque tensio nimia fibrarum corporis nostri, inprimis nervearum sentientium, tristem sensationem producat, breviter hoc modo concipiendum videtur: Si fibræ nerveæ sentientes, seu sentientes nervi ipsi, nimis tenduntur, fit spirituum affluxus major, exinde eorundem major motus versus cerebrum, hinc major, sive tristes sensatio.

§. XII.

Qua ratione vero per tensionem nimiam fibrarum nervearum sentientium, affluxus spirituum animalium evadat major, est res altioris indaginis, quæ non prius apodictice demonstrabitur, quam nervorum subtilissimam structuram oculorum acie naturali majore perspexerimus.

§. XIII.

Placet heic quandam hypothefin ex Differtatione Illustris Joannis Adolphi WEDELII, 1730. Jenæ habita, de Irritatione, mutuare, & ad thesin jam dictam ex analogia quadam applicare. Definit enim Illustris hic Vir irritationem sequentibus verbis: *Irritatio est concitatio affluxus majoris spirituum animalium ad musculos, quo con-*